

Solenne pietatis, qvod
avo seni, annosa
canitie venerabili,
curis & laborib...

1700-1829 81 Cbza 1703 Hoffrenius



National Library
of Sweden

SOLENNNE PIETATIS,

Quod

Avo seni,

Annosa canitie venerabili,

Curis & laboribus meritissimo,

Per quam REVERENDO & CLARISSIMO

D^{N.} HENRICO
HOFFRENIŌ,

Præposito & Pastori in Idensalmi GRAVISSIMO,

in vicem

STRENÆ

Sub auspiciis anni, supra millesimum septingentesi-
mum tertii, humillimi obsequii, gratissimiq; animi con-
testandi ergo, pro modulo ingenii, donec majora admi-
serit ætas, ex voto solvere voluerunt

debuerunt

NEPOTES,

Gymnasii Wiburgensis Alumni.



WIBURGI impr. apud VIDUAM MATTH. SYNGMANNI.

*Admodum Lic.º Dno Præposito.
L. Adamoensi*



Quid nobis ad vota deest? latabile rursum
Tempus adest, solennia festi
Jam redeunt sancti, jamq; instauranda per orbem
Christicolis pia sacra videmus.
Jam Phoebum currus jubet ipsum cardine ab imo
Flectere bruma nivalibus horis.
Jam novus annus adest, exacto fideris orbe,
Singula quæ sua carmina poscunt,
Carmina sed cunis rerum tenuare parentis,
Haud opus haud labor est puerilis.
Qua ratione Deus fuit in patre filius omnis,
Et rursum pater omnis illo.
Atq; alius cum sit pater & genitus, tamen unum,
Et Deus unus erant simul ipsi.
Sacramentum ingens hoc dicent ore rotundo,
Turba piùm doctissima vatum.

Ipse

Ipse ego sed meditor qui possim simplice crena,
Fundere cum precibus bona verba.
Scilicet hæc lux est, quâ jam mea vota tenere
Mi licet, atq; piissima mentis
Promere pignora, quod videam superasse tot annos
Et viridi florere senectâ,
Jamq; renascentem hodie sibi luce benigna,
Hunc mihi qui dedit esse nepoti.
Non eat hæc sine honore dies! dignissima longe
Quam celebret Parnassia rupes.
Qua nati plaudant, quâ pangant ferta nepotes,
Et tibi canos fronde coronent.
Decurrat felix tibi qui nunc incipit annus,
Clare senex & mente colende
Tu mihi submissa! decurrant ordine fratres,
Plures sed nivei & sine labe!
Salvus agas, niveoq; meent læta omine fata,
Gaudiaq; intemerata capeffas!
Et numeres annos ut vincere Nestoris ipsam,
Canities queat Hoffreniana.

PETRUS H. HOFFRENIUS.

O Veneranda
Festaq; salve
Lux, tibi totum

Nulla per annum
Emicat unquam
Par; tibi vota
Solvimus atq;
Reddimus hymnos.
Teq; rogamus
Candida nobis
Candidiorq;
Ipsa redire,
Ut velis usq;
Quæ mala vatum
Climata quondam
Turba canebat,
Quos trepidos &
Affectet illa,
Ore timores
Fingere duro,
Ista abjere in
Irrita ventos.
Quattuor ante
Proxima lustra,

Vim numerorum
Jam tua vicit
Grandior ætas,
O ave multum
Devenerande,
Sic potuit tū
Enneas unquam
Nulla nocere.
Nam DEUS ipse
Temperat orbem
Et sua cuique
Fata remoustrat.
Nunc prece fas est
Supplice numen
Ut mea summum
Musa fatiget:
Hic vice plusquam
Simplice felix
Exeat annus,
Et trahat illi
Post sua terga
Dissimiles non
Ordine plures.

HENRICUS H: HOFFREN.

